



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

8. Argumentum principale ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 321

independens, & per consequens nullius indigens; sed etiam Deus in volendo, & praedestinando homines v. g. est infinite perfectus independens, nullius indigens, à se omnino: ergo Deus non praedestinat, neque vult per creaturas, neque completur in esse volentis, nec decernentis per illas; imo si per impossibile scientia visionis creaturarum completeretur, & constitueretur à priori per creaturam futuram, quam videt; quia ex eo quod creatura futura est, videt illam futuram; unde aliquomodo futuritio creaturae antecedit ipsam scientiam, & sic non potest esse vera haec causalis, ideo est futura res, quia videt Deus illam; sed potius è contra est verum, vt iam dixi; nihilominus tamen nullo modo potest actus liber Dei decernens, & faciens creaturam futuritionem, & existentiam, quia est vera causa talis futuritionis unde est vera haec causalis; ideo creatura est futura ab aeterno, & existens in tempore, quia ab aeterno Deus decrevit libere esse futuram, & in tempore existentem, & e contra est falsissima haec causalis; ideo Deus ab aeterno voluit libere creaturam esse futuram, & existentem in tempore quia creatura futura erat & existens in tempore: ex quo euidenter sequitur actum liberum Dei efficacem, ex quo oritur futuritio, & existentia creaturae; quae nullo modo oritur ab actu inefficaci, esse causam talis futuritionis, & existentiae ac proinde esse priorem prioritate naturae existentia ipsa, sed quod est prius non dependet à posteriori, & causa non constituitur à suo effectui: ergo actus liber Dei efficax qui talis est quatenus causa futuritionis, & existentiae, & in quo distinguitur ab actu inefficaci non constituitur à creatura, siue futura, siue actuali.

Dices, licet creatura non constituat actum liberum nihilominus esse conditionem quasi à priori, vt constituitur actus liber Dei, & sic non mirum quod tribuamus rationem existentiae decreti respiciendo connotatum extrinsecum creaturam.

Sed contra manifeste, quia absolute tam repugnat, vt aliquis effectus constituat suam causam in esse, quod habet, & per quod produxit effectum, & influxit in illum, quam quod sit conditio, vt existat, & sit causa prior illo effectui, & debeat praesupponi completa ante illum de nouo productum à tali causa vt videre est, quia tantum repugnat v. g. quod filius, aut substantia genita à Patre constituat ipsam substantiam generantis, quam quod sit approximatio, media qua avus filij appropinquat ad producendum Patrem talis filij, unde qui diceret, ignem productum B, ab igne productio esse conditionem, vt produceretur de nouo ignis A, qui producit etiam de nouo ignem B, sine dubio irriteretur à sapientibus; & ratio manifesta à priori est. Quia omne quod est prius causa alicuius effectus, à fortiori debet esse prius ipso effectui causato à tali causa: v. g. quia apprehensio obiecti boni est prior volitione illius, etiam debet esse prior habitu productio per talem volitionem; quare sicut avus est prior Patre; ita imo à fortiori debet esse prior nepote, id est filio filij avi; quod fundatur in illo axioma si vincio vincentem te, à fortiori vicā te omnibus circumstantiis eodē modo se habentibus, sed conditio se habens ex parte causa ad productionem effectus est similis cum ipsa causa, ac per consequens est prior ipso effectui: ergo ipse effectus non potest esse conditio se habens ex parte causa ad productionem sui ipsius, & à fortiori non potest esse conditio antecedens

I. P. Tom. II.

productionem suam, causa quia iam ipse effectus esset prior sua causa, ac proinde prior se ipso: ex quo sequeretur idem esse prius, & posterius respectu sui ipsius, sed hoc est maximum absurdum, quia prius refertur ad posterius, sed omne, quod refertur ad aliud est relative oppositum respectu illius, vt videre est in Patre aeterno, qui relative opponitur filio, eo quod refertur ad illum: sed id, quod relative opponitur alteri, distinguitur realiter ab illo: ergo id quod est prius respectu posterioris distinguitur realiter à posteriori, & non est idem cum illo, quia quae distinguuntur non sunt idem: ergo idem non potest esse prius, & posterius respectu sui ipsius: ergo idem non potest esse effectus causa, & conditio se habens ex parte causa ad productionem ipsius effectus & multo minus poterit esse conditio necessaria ad productionem causa talis effectus, & antecedens productionem talis causa.

SVBSECTIO VIII.

Argumentum principale ponitur.

Quia omnis denominatio extrinseca actualis debet provenire ab aliqua forma actualis precedente ipsum denominatum ab illa; sicut verbi gratia visio praecedit esse visum, quod denominatur ab ipsa visione, & dexteritas praecedit dexteram, quod constituitur à dexteritate; & ratio evidens est, quia ratio illa, quae constituit aliquid formaliter, est causa formalis illius; forma autem est prior suo effectui, quia omnis causa habet prioritatem respectu illius.

Sed nulla est creatura, quae praecedat decretum liberum Dei & à qua denominetur, & constituitur in genere cause formalis tale decretum: ergo nullo modo constituitur extrinsece decretum à creatura. Minor sic probatur; Nam vel constituitur decretum à creatura possibilis vt sic; & hoc non; tum quia alias illa non esset denominatio libera, sed necessaria, vt est possibilis creatura quia eo modo est effectus, quo est forma, à qua essentialiter, & formaliter constituitur, tum etiam quia esset indifferens, & communis omni rei possibili, praeter quam quod cum illud decretum non terminetur primario & per se ad possibilitatem, non potest denominari ab illa; denominatur autem possibilitas decreti à possibilitate mutationis, si aliquid dicendum esset probabile. Vel provenit talis denominatio, & constitutio decreti à creatura ut existenti, vel futura aliquando, & hoc etiam dici non potest, quia omnis creatura tam futura, quam actualis originem ducit ab ipso decreto iam libero; est enim creatura vt sic eo quod Deus per volitionem suam liberam libere vult eam esse: ergo denominatio, quam Deus, vt actu volens dicit ad talem creaturam non potest deriuari à creatura vel existenti, vel futura.

Quod sic demonstratur, Quia Deus ex se solo se libere determinat, vt hoc velit potius, quam illud, & ideo non videtur sumi talis denominatio libera decreti antecedens ad omnem mutationem creatam ab aliqua creatura futura, vel actuali; in quo est maxime differentia inter volitionem liberam decernens existentiam rei, & inter scientiam etiam liberam, quod scientia vt ex simpliciter intelligentia fiat visio, & praeter res possibiles se extendat ad repraesentandas res

Si existens

existentes supponit in obiecto aliquam varietatē pro aliquo tempore, cui aternitas coexistit; vel saltem supponit aliquod decretum liberum divinæ voluntatis, & ita ibi intelligi potest extra ipsam scientiam aliquod fundamentum, vel principium illius denominationis. At vero in voluntate nihil supponi potest sed omnis varietas, quæ in obiectis intelligitur, ab ipso actu libero trahit originem.

149 Et ratio à priori est, quia scientia etiam ut terminata ad talia obiecta contingentia, non est in se formaliter libera, sed necessaria ex præsuppositione talis obiecti, vel existentis, vel futuri; at vero voluntas ut terminata ad talia obiecta est formaliter libera; & ideo illa denominatio in scientia potest intelligi per modum cuiusdam respectus resultantis necessario in ipsa, posito altero extremo, scilicet obiecto scibili in esse veri, seu scibilis, in voluntate autem non potest ita intelligi, sed primo, ac per se originem trahit ab ipsa voluntate omnibus aliis eodem modo se habentibus, & ideo intime in illa esse debet fundamentum talis denominationis.

150 Virgetur amplius eadem prima, ac præcipua maior, quia velle, amare, & similes denominationes, cum sint vitales, non possunt esse omnino extrinsecæ: ergo vel Deus non amat, vel amat per amorem, qui in ipso intrinsece est. Præterea, quia facere illo modo, cum indifferentia scilicet agendi, & non agendi, & nihilominus determinare se ad agendum immediate ac formaliter per ipsammet actionem extrinsecam, est modus intelligibilis, ac impossibilis, & quamvis esset possibilis esset imperfectissimus.

151 Primum patet, quia non intelligi potest, solem non esse naturaliter determinatum ad illuminandum, etiam applicato passo & concurrentibus illis ad agendum requisitis, & tamen se se determinare ad illuminandum solum per illuminationem, quæ in passo recipitur, cur enim determinatus est nunc & non antea? sane non potest reddi ratio, quia nunc illuminat; huius enim rationem quærimus, quam oportet ex parte ipsius agentis reddi, quia supponimus non determinari ab alio, per actionem autem mere extrinsecam non potest se determinare, si alioqui erat indifferens; quia per illam non potest velle, nec in se habere determinationem ad agendum, in quo est magna differentia inter voluntatem & similia agentia; nam voluntas actione sua interna vult non solum obiectum, sed ipsammet actionem, & ideo potest per illam se determinare.

152 Secundum patet, quia ille modus determinationis potentia indifferentis re vera non esset per modum actus vitalis, sed solum per modum actionis extrinsecæ; hic autem modus imperfectus est. Præterea non posset intelligi in tali modo actionis quod esset proprie, & formaliter propter finem ex intentione & relatione agentis; nam illa relatio non est necessaria, sed libera; potest enim Deus vnum effectum propter varios fines operari, hæc autem denominatio, seu connotatio non est formaliter in ipsa actione extrinseca, imo nec semper in illa apparet: ergo non potest talis modus operandi propter finem ex sola extrinseca denominatione Deo tribui, sed potius è contrario per denominationem ab actu interiori, vel externa eius actio dicitur esse propter talem finem ergo nullo modo defendi potest prædicta sententia.

SUBSECTIO IX.

Argumentum principale ponitur.

153 **Q**uia per vos mutatio extrinseca, quæ requiritur ad constitutionem aquæ liberi Dei, debet esse extrinseca respectu Dei, & intrinseca, ac physica respectu creaturæ, sed in effectibus præsertim moralibus potest Deus multa libere velle, quæ non faciunt in rebus specialem mutationem physicam realem: ergo non est illa necessaria ad actum liberum Dei. Minor in qua est difficultas sic probatur, quia Deus potest transferre dominium alicuius, quod habet aliqua persona, in aliam personam, ut contingit in Ægypto, Deus enim transtulit dominium, quod habebant Ægyptij circa suas opes ad Hebræos, & nihilominus in hoc casu nulla resultavit in hominibus aut rebus specialis mutatio intrinseca physica, & ratio à priori, quæ me maxime movet, est non solum hic, sed in condonatione extrinseca, de qua Subsecciónem sequenti agemus data opera; quia tales formalitates dominij &c. sunt morales & non physicae; ac proinde non Physicae, sed moraliter debent destrui.

Deinde interrogo ab adversariis, quæ mutatio facta fuerit in Ægyptiis, quando ab iis ad Hebræos translatum fuit dominium opum.

154 Dices, factam fuisse revelationem à Deo intimantem translatum esse dominium ab ipsis ad Hebræos. Sed contra manifeste, quia talis relatio impediret finem intentum à Deo de spoliatione Ægyptiorum per Hebræos; nam si Ægyptiis constaret media illa revelatione de tali translatione dominij in Hebræos, minime sponte mutuas tribuerent gazas Hebræis simulatæ ab Ægyptiis petentibus sine animo iterum ipsis Ægyptiis reddendi illas: ergo nullius momenti est revelatio ficta ab adversariis in ordine ad Ægyptios, etiam si apparenter defendi possit ex parte Hebræorum, præsertim, quia ut omnes Doctores Ecclesiæ August. Hieronym. Gregorius, Ambrosius, Cyprianus & reliqui, nulla fuit facta revelatio Ægyptiis, quia indigni erant allogenatione divina: ergo talis revelatio non erat necessaria ad constituendum decretum illud transferendi dominium.

Dices, ad illud decretum sufficere revelationem factam Hebræis.

156 Sed contra, quia decretum adæquatum, illud, de quo loquimur, non solum respiciebat Hebræos, sed etiam Ægyptios, unde terminabatur adæquate ad utroque: ergo mutatio, quæ deberet constituere adæquate ipsum decretum non solum debet fieri in Hebræis, sed etiam in Ægyptiis, sicut quia ipsum decretum habet pro obiecto adæquate quæ non solum Hebræos, sed Ægyptios, quato, non solum Hebræos, sed etiam ad Ægyptios, sed etiam ad Hebræos, sed etiam ad Ægyptios; sed mutatio extrinseca in obiecto huius decreti adæquate constituit ipsum decretum per vos: ergo sicut obiectum adæquatum huius decreti non solum sunt Hebræi sed etiam Ægyptij, ita similiter mutatio, quæ constituit adæquate tale decretum non solum debet fieri in inadæquato obiecto, quales sunt